

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Henricus Rahne I.U.D. ... Ad Exequias Quas ... Dn. Jacobo Alwarte, Senatori huius Reip. gravissimo, Marito suo desideratissimo Relicta Vidua moestissima paratas cupit, Omnes omnium Ordinum Cives Academicos ... invitat : [P.P. Rostochi[i] sub Sigillo Rectoratus, d. XI. Mai. An. cl Ic LVII.]**

Rostochii: Kilius, 1657

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742729176>

Druck Freier  Zugang






Rhane, H.,

in J. Alwart.


R. 1657.

13
















PROGRAMMA  
<sup>2<sup>do</sup></sup>  
RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
HENRICUS RAHNE



V. D. & Prof. Consistorii  
Ducalis Adfessor,

Ad Exeqvias,

Qvas  
VIRO Amplissimo

DN. JACOBO  
ALWARTO.

Senatori hujus Reip. gravissimo,

Marito suo desideratissimo

Relicta Vidua mœstissima  
paratas cupit,

Omnes omnium Ordinum Ci-  
ves Academicos seriò atque amicè  
invitat,

ROSTOCHII, Typis Hæredum NICOLAI KILII,  
Anno M. DC. LVII.



**N**unquam mortale pectus magis divinum est, quam ubi mortalitatem suam cogitat, & scit, in hoc natum hominem, ut vitam defungeretur. In bello bis peccare non licet. Certè ut Suprema rectè obeamus, hoc diligentius danda assidue est opera, quod rectè, non nisi semel, obiri possint. Et quid circuire mundum juvet, quid in omnem naturam deniq; mentem oculosq; demittere, dum tuam ipsius negligas, teq; mortalem minus cogites, & moriendi artem condiscas? Magnam laudem habet, non ignorare, quæ nescit vulgus, levareq; altius mentem, quam enititur turba: sed hic doctissimus omnium & sapientissimus fuerit, qui probè hanc disciplinam calleat, ut nunquam non lætus & hilaris, & plenus optimæ spei fatum suum possit excipere. Non fugiebat hoc **ALWARTUM**: recogitabat n. vices rerum, & rotam fortunæ volubilem, & hominem esse, nunquam obliviscebatur. Nec quicquam hætenus didicerat magis, quam ut oppeteret pulcrè, quod etiam in novissimo præsertim mortis agone egregiè probatum ivit. Natus est apud nos **ROSTOCKI**, anno post natum Servatorem humani generis clo hoc VII. d. III. Jul. circa VIII. & IX. vespertinas. Patrem habuit **JACOBUM Allwart**/ Civem ac mercatorem hujus loci primum, mox Sedecemvirum, post Ecclesiæ Marianæ arcæ præfectum, & deniq; Reip. hujus oppidanæ Senatorè longè gravissimum: Matrem verò **ANNAM Holdorps**/ fœminam ornatissimam. Avus paternus ipsi fuit Vir prudentissimus juxta ac integerrimus

JA-



792  
JACOBUS Allwart / civis apud nos & mercator: Avia  
paterna ANNA Zeffentins / fœmina omni virtutis lau-  
de conspicua. Avum maternum sortitus fuit MAT-  
THÆUM Holdorp / civem atq; negociatorem apud  
nos præstantem: aviam maternam DOROTHEAM  
Hildeßen / gente Danam. In Parentum gremio cùm  
pietatis & probitatis semina hausisset, in schola pa-  
tria a. primis literis, quarum quidē capax ea est ætas,  
esset imbutus, in Norvagian missus mercaturæ ad-  
suescere debuit. Quo facto octodecim annorum  
adolescens civi cuidam Rigensi, cui nomen JOHANNI  
Schwarz / in mercaturam postea traditus est. Ubi  
posteaquam in tribus quasi annis, non sine fidei in-  
dustriæq; singulari laude inserviisset, domum revo-  
catus est, ut operam suam parenti, ut mercaturâ, ita  
virtute etiam sat noto viro, & Senatorio quoq; addi-  
ceret. Inde reversus ad nos tam dextrè atq; soletter  
negociationi paternæ operam navavit, ut eam non  
tantum, susceptis in extera loca, terrâ mariq; (ut pote  
Hollandiam, Norvagian, Daniam, Livoniam, Cur-  
landiam, Prussiam) peregrinationibus, immane quan-  
tum locupletaret atq; augetet, sed simul & suam rem,  
placito ac sualû Parentis optimi, solerti ingenio egre-  
giè faceret. Tali n. præditus fuit, & tale cum primis  
mercatori convenit. Nam versatur circa opes, quib9  
rectissimè uti, sapientis est: Nec hoc obelæ naris est:  
scire omninò, qualem cuivis se præbere debeat: vide-  
re posse, cui fidat: quid, quantum, quando, & ubi e-  
mere, seu vendere debeat. Cœterùm non ignoratum  
habe-



habere quarumcunque rerum valorem, dignitatem  
aut improbitatem. Ad quæ rite præstanda omnia, sa-  
nè ingenio opus fuerit. Navigavit a. sæpe non sine  
præsenti vitæ discrimine. De nauta n. vetus dictum  
est, inter ipsum & mortem tantum esse intervallum,  
quanta sit asseris unius crassities; quod & Satyricus  
tangit, quando ait: --- --- nauta dolato

Confusus ligno, digitis à morte remotus

Quattuor, aut septem, si sit latissima tæda.

Unde & Bias, quem Græcia inter septem Sapientes  
admirata est, nautas neq; inter vivos, neq; inter mor-  
tuos censebat. Quo indefesso labore, & industriâ fa-  
ctum, ut in ejus connubium fœmina lectissima CA-  
THARINA Strünings / CHRISTOPHORI Höv-  
fers / ex primis civium & negociatorum apud nos  
relictæ Vidua facili negotio consentiret, quippe cui  
anno clō lbc XXXV. nuptiarum solemnibus junctō,  
felicissimum matrimonium, quanquam sine prole,  
totis ferme XVI annis degit. Quâ demortuâ anno  
clō lbc LIII. d. XXII. Septemb. ad secunda vota trans-  
iit, & vitæ toriq; sociam sibi legitimè adoptavit AN-  
NAM Lavrenßen / egregiam fœminam; viri clarissi-  
mi doctissimiq; M. PETRI STAPPENBECCI, civis  
qvondam apud nos & cerevisiarii, ut & arcæ Ecclesiæ  
Jacobææ præfecti relictam viduam. Quod quidem  
alterum matrimonium pacificum etiam, verum sic-  
ut prius illibere habuit ac infœcundum, breveq; in  
modum, quatuor tantum annorum. Munia publica  
obiit & summa cum laude sustinuit diversa. Centum-  
vir



123  
vir primùm, ædi postea D. Nicolai præfectus, tandem  
anno clō lōc LIII, ipso die MATTHIÆ sacro, in  
Senatum allectus fuit, eoq; munere ita functo est ha-  
ctenus, ut rei com̄uni & publico com̄odo maximè  
expedire videbatur, bonumq; & patriæ amantem vi-  
rum cum primis decebat. Quemadmodum autem  
Tragicus ille non abs re exclamat:

Invicem cedunt dolor, & voluptas.

Et insperata accidunt magis sæpe, quàm quæ speres;  
contra quæ nunquam satis cauta mortalitas est. Ita  
& hîc contigit. Quam multos n. fortunæ novercan-  
tis insultus, etiam in mercatura, quem honel. i quæ-  
stum labore improbo vivus vidensq; fecit, non rarò  
expertus fuerit, quàm præter omnē expectationem  
aliquando crus alterū bis fregerit, ignotū iis esse non  
potest, quibus ipse innotuit. Quâ pietate à teneris co-  
luerit Deum, quâ probitate animi atq; candore cum  
aliis vixerit, quâ fide atq; amore prosecutus sit suos,  
multis indiciis colligere licet, de quibus tamen  
operosius hîc tradere, nihil magnopere interest,  
cū id prolixius concio funebris exequi soleat. An-  
te quatuordecim quasi dies, d. XXVII. Aprilis malè  
haberi ex insperatis capitis doloribus cepit. Extēplo  
quidē medicorū consilia adhibita sunt, in primis ac-  
cerditus vir excellentissimus atq; experientissimus  
Dn. JOHANNES BACMEISTERUS Med. D. Prof.  
& Reipub. hujus Physicus, Collega & amicus noster  
pl. colendus: sed cū nihil efficeretur medicamētis,  
& æger ipse sub morbi initium statim pæne omina-  
retur



retur de illo, quod evenit postea, id unicè studuit, ut ad fatalem forte ac decretoriam illà horam animam rite præpararet. Accessit igitur, biduo ante obitum, Confessionario suo Viro pl. reverendo, & amplissimo Dn. JOANNE QVISTORPIO, SS. Theol. D. & Prof. ut & ad D. Jacobi Pastore bene merente, desiderium vitæ alterius ex animi sententia professus, firmissimaque spe sibi pollicitus fuit ea præmia, quæ omnibus iis, qui fidem ac conscientiam bonam retinuerint, Apostolorum maximus recepit. Multoties a. his verbis se erexisse, dicitur: *Ich verlasse mich auff Gott/der wird wol helfen: Auff JESUM barw und traw ich/dem hab ich mich ergeben.* In hoc acquiescebat, in quo omnes debemus, quotquot æternitatem cogitamus: inde auxilium & opem poscebat, unde cum primis hæc expectanda. Ante quatuor demum hebdomadas, factâ ex omologesi SS. cœna Dominici corporis, unde æterna vita & salus dignè fruentibus venit, cum magna, uti par est, devotione usus erat. Equidem qui conciones & Sacra publica obiret frequentius, temerè alius non fuit, Vigilâ Ascensionis Dominicæ malum id vehementius, & quasi reparatis viribus, sub horam X. nocturnam adoriri corpus caesarium visum est. Cum itaq; jam jam affururam certò animadverteret illam horam, quæ exitum rebus humanis Deo atq; æternæ felicitati traditura esset, compositus à circumstantibus, ut JESUM CHRISTUM, cujus à mortuis resuscitati & in cœlos gloriosè elevati memoria in sequenti die ab Ecclesia



122  
clesia recolenda esset, fixum animo retineret constanter, mente adhuc sibi rectè constante, sublatis ad cælum manibus oculisq, respondit: Omnino se id facere. Orationes & preces, nominatim istas: **HERR** **JESU** **CHRIST** **wahrer** **Mensch** **und** **GOTT**/ **It: Wenn** **mein** **Stündlein** **verhanden** **ist. It: HERR** **JESU** **CHRIST** **ich** **weiß** **gar** **wol.** aliaq; divinarum literarum oracula, clarâ & satis articulatâ voce recitavit & ipse, & præeuntes jacèri verba sæpe occupavit, subsecutus est semper: superq; iis mirificè erigi, & quodam velut gaudio gestire cæpit. Nam sicut per omne vitæ tempus **DEI** reverentissimus semper fuit: ita appetente jam fine serio sibi tuendam pietatem existimabat, à qua præcipuè salus & felicitas nostra, quæ obitos manet, expectanda est. Finem vitæ fecit nudius quartus, hor. II matutina, plenus spei ac fidei Christianæ, cum vivus fecisset **L.** quasi annos.

Qui cùm ad hor. I. postea efferendus sit: vestrum erit, **CIVES ACADEMICI**, viro egregio, & de Repub., de Ecclesia, de plurimis bonis optimè merito, supremum honorem in exequendis ejus exequiis prolixè & cumulatè præstare. Quod ut faciatis, etiam atque etiam vos adhortamur. Et quia **ALWARTI** nostri animam ad beatissimos Coelites transitu exoptatissimo sublata esse audivistis tunc, cùm memoriam adscensionis Dominicæ recolendæ templorum campanæ jamjam intimare deberent: agite & nos **SURSUM CORDA!** Et hodie inter-

eun-



eundum & omnibus horis ad LIBERATOREM  
SERVATOREMque salutis nostræ, ex animo sus-  
spiremus:

Imperii domitor Stygii, letiq; ferocis

Victor, ad æternæ regna quietis abis:

Huc te, CHRISTE, sequor, sed spe, sed pectore  
solum:


O mihi da tandem re quoque posse sequi!

P. P. Rostochi sub Sigillo Rectoratus  
d. XI Maj. AN. clō Ioc LVII,


Conventus fiet hora I. pomeridianâ  
in Æde Jacobæa.





















123

clesia recolenda esset, fixum animo  
stanter, mente adhuc sibi rectè constan  
cælum manibus oculisq̃, respondit:  
facere. Orationes & preces, nominatim  
Jesu Christi wahrer Mensch und Gott/  
Stündlein vorhanden ist. Ic: Herr Jesu  
gar wol. aliaq; divinarum literarum ora  
satis articulata voce recitavit & ipse, & p  
ceteri verba sæpe occupavit, subsecutus ei  
perq; iis mirificè erigi, & quodam velut  
re cæpit. Nam sicut per omne vitæ tem  
verentissimus semper fuit: ita appetere  
seriò sibi tuendam pietatem existimabat  
cipuè salus & felicitas nostra, quæ obito  
pectanda est. Finem vitæ fecit nudius qu  
matutina, plenus spei ac fidei Christiana  
fecisset L. quasi annos.

Qui cum ad hor. l. postea efferendus  
erit, CIVES ACADEMICI, viro egregio  
pub., de Ecclesia, de plurimis bonis op  
to, supremum honorem in exequendis e  
prolixè & cumulatè præstare. Quod  
etiam atque etiam vos adhortamur.  
WARTI nostri animam ad beatissim  
transitu exoptatissimo sublatam esse aud  
cum memoriam adscensionis Dominicæ  
templorum campanæ jamjam intimare  
agite & nos **SURSUM CORDA!** Et h

